

culum aliquod & nexum connectentem materiam cum forma, de nouo ipsis superuenientem: sed nos, qui dissectimus ab opinione communi in superiori disputatione *part. 2.* nullum tale admittentes vinculum inter materiam, & formam, sed dicentes materiam, & formam vniri seipsis, ideo nunc rectè dicimus, quòd causalitas materiæ sit ipsa coniunctio, & intima penetratio substantialis materiæ, & formæ, sicque probatur *secunda* resolutionis pars.

Illam est causalitas materiæ respectu formæ, & compositi *in facto esse*, quæ facit formam actualiter informare materiam, & compositum esse compositum: sed id præstat talis coniunctio materiæ, & formæ, ergo illa est causalitas materiæ, tum respectu formæ, tum respectu compositi *in facto esse*; quæ causalitas exercetur, non modo respectu formarum materialium, sed etiam respectu animæ rationalis; nam in Composito ex corpore, & anima rationali talis debet reperiri coniunctio, alioquin homo non esset verum compositum Physicum.

Num. 5.  
Quenam sit  
causalitas  
causæ forme  
materiali?

*Resolutio secunda*: Causalitas causæ formalis est ipsa coniunctio formæ cum materia: Probatur, quia nihil aliud potest assignari pro eius causalitate, nisi dicta coniunctio. *Secundo* illa actualis coniunctio causat compositum *ut quo*, at forma causat compositum *ut quod* per illam coniunctionem, ergo illa coniunctio est causalitas actualis ipsius formæ.

Sed ne sit aliqua deceptio in his nostris dictis, oportet aduertere coniunctionem posse sumi, vel pro actione coniunctiua, vel pro ipsa coniunctione, seu vnione, sicut dicunt communiter Physici, quòd vnio sumatur aliquando pro actione vnitiua, quæque vocatur *vnio*, & aliquando pro termino producto pro actionem vnitiuam; dum dicunt communiter Physici vnionem esse causalitatem causæ formalis, non intelligunt de actione vnitiua, sed de termino per per illam producto. ita nos hic, dum dicimus, quòd coniunctio formæ cum materia sit causalitas formæ, non intelligimus de actione coniungente materiam, & formam, sed de ipsa coniunctione: Deinde quia coniunctio illa potest considerari vel ex parte materiæ, vel ex parte formæ, si consideretur ex parte materiæ, dicitur coniunctio passiuæ: si ex parte formæ, coniunctio actiuæ, & idcirco coniunctio actiuæ erit causalitas formæ, & coniunctio passiuæ, causalitas materiæ. Torum hoc fundatur in eo, quod diximus nullam intercedere vnionem inter materiam & formam, &c. Ex his patet quoque quænam sit causalitas materiæ respectu compositi in facto esse, nimirum ipsa coniunctio passiuæ.

Num. 6.  
Proprius effectus  
formæ  
est compositum.

*Resolutio secunda*. Proprius formæ effectus non est ipsa materia, sed ipsum compositum: *Prima* pars est contra Thomistas, qui ideo dicunt materiã quoad suam existentiam esse effectum formæ, quia volunt ipsam existere existentia communicatã à forma, quod tamen reieciimus, contrariumque probauimus *disp. 2.* ex quo probatur: quod non habet suum esse à forma, non est effectus formæ: sed materia non habet suum esse, aut existentiam à forma, vt offensum est citato loco, ergo non est effectus formæ; Probatur verò quòd compositum sit effectus formæ *primo*: ille est effectus formæ, qui causatur à forma: sed compositum causatur à forma, vt patet, causatur, inquam, in genere causæ formalis, quia forma est id, quo est compositum; ergo compositum est effectus formæ; *Secundo*: Illa est causa formalis compositi, quæ dat quidditatem composito: sed forma dat quidditatem composito, ergo est causa compositi: Maior patet:

minor est communis inter Physicos dicentes, quòd forma sit ratio, & species compositi, formaque ponatur compositum in tali quidditate, & in tali specie: deinde nullus melior assignari potest effectus formæ, quàm ipsum compositum, cum forma sit in ordine ad constitutionem compositi, & ex his patet quoque effectum vltimatum materiæ esse causam compositi.

Obijcies: Causa est nobilior suo effectu, sed *3. Obij. primo* forma non est nobilior composito, item nec materia est nobilior composito, ergo compositum non est effectus materiæ, nec formæ.

Respondeo, concedo maiorem de causa dante totum esse rei, forma verò non dat totum esse rei: Item nec materia, quia vtraque simul concurreat ad constitutionem compositi, adde quod illa maior ordinariè tantum recipitur respectu causæ efficientis, quæ debet esse aut nobilior suo effectu, intellige, si sit causa æquiuoca, aut æque nobilis, intellige si sit causa vniuoca.

Obijcies *secundo*: Ille est effectus formæ, ad quem *2. Obij. secundo* primo terminatur causalitas formæ: sed causalitas formæ prius terminatur ad actuationem materiæ, quàm compositi, ergo actiuatio materiæ erit effectus formæ, & non compositum.

Respondeo illa duo esse in instanti, videlicet *2. Obij.* actuare materiam & constituere compositum, statim enim atque forma est vnita materiæ, transit in tertiam entitatem, & actuat materiam, quæ actuatione compositum est compositum. Aut dici poterit, quòd actiuatio materiæ ab ipsa forma sit effectus *ut quo*, ipsummet verò compositum sit effectus *ut quod*, vltimatus, & proprius.

### Partitio III.

#### De causa efficiente, & quibusdam alijs ad eum spectantibus.

**E**orum, quæ spectant ad causam efficientem, nonnulla sunt communiter recepta apud Physicos, alia verò maximè controuersa. Quæ communiter sunt recepta, in hac partitione præmittimus, quæ verò sunt controuersa, in sequentibus discutimus.

Queritur autem nunc, quomodo definiri debeat causa efficiens?

Respondeo: definiri solet in hunc modum: *Nam 7.* Causa efficiens est *Definitio* *primum Principium, unde est motus, aut quies, cuius definitionis genus est primum* *causæ esse* *primum*, per cæteras verò particulas differt à quibuscunque alijs; nam causa finalis non est id, vnde motus, sed id cuius gratiã sit motus.

Item nec causa formalis, nec materialis, quia cum sint causæ intrinsecæ, causalitatemque exercent intrinsecè, non dicuntur efficiere motum, quia motus est quid extrinsecum.

Dicitur, & *quies*, quia causa efficiens non tantum dat entitatem rei, sed etiam conseruationem, conseruatio autem rei est quædam quies ipsius rei: illaque definitio causæ efficientis ab alijs sic proponitur. Causa efficiens est id, quod extrinsecè & verè tribuit alteri entitatem, quæ definitio etiam conuenit causis efficientibus non tantum principalibus, sed etiam instrumentalibus, tamque vniuocis, quàm æquiuocis principalibus.

Vocamus causas principales vniuocas, quæ assimilant sibi effectum, in quo differunt ab æquiuocis quæque